

IOANNES HUBERVS MEDICVS BASILIENSIS.



Ioannes natus est Basileæ patre Martino Hubero (qui sub bellum Helueticū Rauenspurgo Basileam peruenerat, & eius ciuitatis ius sibi comparat) anno 1507. Ibi cum foelici ingenio præditus esset, à pueris operam literis dedit, & prima rudimenta facile didicit. postea Selestadium à parentibus missus, ut Ioannis Sapidi disciplina institueretur. In eo loco cum ad tempus uixisset, Basileam rediit, atq; Glareano præceptore usus artibus & linguis præclaram operam nauauit. Postea 1525 studiorum desiderio Lutetiam profectus, tanta diligentia artes didicit, ut philosophiæ Magister crearetur. Inde sese ad alias Galliæ academias contulit, & Medicinæ incumbere cœpit, præsertim Monspeculi & Tolosæ, ubi etiam ob eruditionem & Græcæ linguæ peritiam Rector academici electus fuit.